



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 40. Sequentis Sessionis materiae in quadam Congregatione examinatae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

§. XL.

Sæcul. XVI.

A. C. 1551.

*Sequentis Sessionis materiae in quadam
Congregatione examinatae.*

Cum proxima Sessio ad diem vigesimam quintam Novembris fuisset indicta, omne temporis intervallum usque ad præstitutam diem in examinandis, ac instruendis materiis ibidem agitantibus infumebatur: Itaque die duodecima Octobris, quæ erat altera post decimam tertiam Sessionem dies, generalis habebatur Congregatio, in qua Legatus querebatur, quod Theologi ordinem pro habendis disputationibus præscriptum minus accurate servassent, indeque nonnullæ dissensiones fuissent exortæ: postea de pœnitentiæ, atque extremæ unctiõnis Sacramentis agendum proponebat: igitur totum hoc argumentum ad sexdecim reducebatur articulos, quorum duodecim circa primum hoc Sacramentum, quatuor vero circa alterum versabantur, iique hi articuli diversis tradebantur Theologis, quos inter haud infimus erat Veronensis Episcopus. Eadem quoque forma servabatur circa materias disciplinam, seu morum emendationem concernentes, monebantur tamen Præsules, ac theologi, ut in suis sententiis brevitati studerent, nec pertinaciter suis opinio-

E 4

nibus

Sæcul. XVI
A.C. 1551.

nibus in publicis disputationibus insisterent. Percipiamus jam duodecim illos articulos de Pœnitentia ex Lutheri, ejusque Discipulorum libris extractos, circa quos prævie discussos postea in Sessione sententia esset pronuntianda.

§. XLI.

Articuli circa Pœnitentiam.

„I. Pœnitentia non est proprie Sacramentum, ad reconciliationem prorelapsis post Baptismum a Christo institutum, nec recte a Patribus secunda tabula post naufragium appellatur, sed Baptismus vere est ipsum Sacramentum pœnitentiæ.

„II. Non sunt tres pœnitentiæ partes, Contritio, Confessio, & Satisfactio, sed duæ tantum, terrores scilicet incussi conscientiis agnito peccato, & fides concepta ex Evangelio, vel absolute, qua credit quis sibi per Christum esse remissa peccata.

„III. Contritio, quæ paratur per discussionem, collectio, & detestatio peccatorum, non præparant ad gratiam Dei, nec remittunt peccata, sed potius faciunt hominem hypocritam, & magis peccatorem, eaque contritio dolor est coactus, & non liber.

„IV. Confessio Sacramentalis secreta juris divini non est, nec apud antiquos Patres ante Concilium Late-

„ranen-